



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)



NUMERUS PRIMUS.

*Tres eximii Principes Christiani, inimicorum Crucis Christi domitores:
Sigismundus III. Poloniae Rex,
Ludovicus XIII. Galliarum Rex,
Ferdinandus II. Romanorum Imperator.*

§. I.

DEus exercituum, ipse est Dominus omnium, non est qui eius beneplacenti & absolutę voluntati possit resistere; in eius manibus sunt omnium Regum, & Potentiorum corda, ac omnium jura regnorum; quibus vult, quando vult, & quomodo vult illa tradit: etiam illis qui eum non cognoscunt, nec eius Sanctum Nomen invocant, ac venerantur. Paucis ab hinc annis, inauditis penę à sæculo præliis, & triumphis, per ternos Reges Christianos Christi auspiciis, protritos vel subactos cernimus Ecclesię Dei vivi sævissimos hostes; gratulamur, & Deo gratias agimus, innumeras Turcarum copias formidabiles, per Se-

renissimum Poloniæ Regem , Sigismundum tertium , Jagellonidem : & Sancti Casimiri abnepotem , Moscorum & Tartarorum vindicem tot claudibus attritas ; ut si cæteri Principes ei suppetias tulissent , jam actum esset de Ottomanorum Imperio. Porro excessit ille libens è Patrio & avito Sueciæ Regno , ne fidem , Deumque perderet : sed hanc Dei causâ exiguæ Ditionis jacturam , amplis illi , in Moscovia , Polonia , Livonia , Walachia , Ruffia , Asia , Triumphis , & Imperiis , centuplo scœnore compensavit Deus omnipotens ; semper magnificus in Sanctitate , faciens mirabilia in electis suis.

Tu es Deus scientiarum , & Dominus omnium cujus sapientiæ non est numerus. Te omnes unanimi animorum consensu suppliciter rogamus & obsecramus , ut firmissimo mutuæ dilectionis vinculo , compellas & constringas corda Regum , Principum & omnium , quos in potestate super populos tuos constituisti. Simulque omnibus idem studium hæresis seditiosæ , & semper rebellis extirpandæ , ac funditus eradicandæ , Benignus aspires , &

fic inspire hanc tuam sapientiam, ut clarè cognoscant, enerve, imbelle, divisum in se, & desolatum ac nullum esse omne regnum, in quo cives inter se de Religione digladiantur.

Ubi hæretici pro suâ perfidiâ usque ad mortem dimicant, perfidè que non tantùm cives, sed & Principes suos produnt, perdunt que. Fidei enim & Religionis contentiones, necessariò pariunt Ecclesiæ & Reipublicæ diffidium, id que internecinum; ut Rex Orthodoxus, Regni sui Dominus, & Rex non sit, quamdiu in eo talis grassatur hæresis. Etenim commune est hæreticorum seditiones conflare, Turcæ aditum patefacere, vicinos Principes ad bellum sollicitare. Quâ ratione enim Regi suo fideles sint, qui Deo sunt injurii, blasphemi, infideles? Quâ ratione Principi fidem servent, qui fidem Christo & Ecclesiæ datam violarunt? & assiduè ac pertinaciter violant, qui que suam perfidiam rebellionè amant, & propugnant? Non id ipsorum, non naturæ, non indolis, sed phrenesis: hæresis inquam seditiosæ & infidæ est vitium. Aperuisti

Regum oculos, ô Lux increata, Trinitas Divina: ut id clarè cernerent, ideoque singuli in Calvinismum, ut Regni sui pestem insurgerent. Ita dedisti Christianissimo Galliarum Regi Ludovico XIII. Justo, & pio Sancti Ludovici hæredi & æmulo, suprâ ætatem, animos, & vires, ut Urbes & Arces plurimas quas Hugonotti invaderant, armatâ manu eis extorqueret; cæteras penè omnes ad deditionem cogeret. Quod nemo Majorum cogitare, nedum aggredi ausus fuerat: ut jam ipse Franciæ totius sit Rex, qui ante triennium dimidiatus & precarius ejus tantùm Rex esse videbatur. Ita etiam Ferdinandum Imperatorem invictum, spem & columen Germaniæ, tot, tantisque victoriis, iisque continuis decorasti, ut te pro eo manifestè pugnare, illud pro-Patruis sui Caroli V. Imperatoris jure dicere potuerit; *Veni, vidi, vicit Christus*: Et illud Deborahæ Judic. 5. *Nova bella elegit Dominus, portas hostium ipse subvertit, de cælo dimicatum est contra eos, stelle manentes in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Instar fulminis

minis enim victor ejus exercitûs, Du-
 ce Bavaro quasi redivivo Juda Macha-
 bæo, pervasit, subegitque, Austriam,
 Bohemiam, Moraviam, Silesiam,
 Hungariam, Palatinatum utrumque,
 ex iisque Hæreticorum Patriarchas
 Hussitas, ac rebellionum faces Calvi-
 nistas, expulit & profligavit, quâ in
 re suas quoque egregiè prestitère par-
 tes insignes ex Italis Belgisque Duces,
 cum validis copiis ab optimo Rege Ca-
 tholico opportunè in auxilium sub-
 missi, ut jam Germania putidis, & pe-
 stiferis membris resectis libera, redin-
 tegrari, revalescere, pristinasque vires,
 & robur queat colligere: Quibus in
 unum collectis roborata non tantùm
 Turcis resistere, sed & eos bello la-
 cessere, & invadere audeat: Hunga-
 riamque hæresis diffidio perditam, uni-
 tis Germanorum, & vicinorum, armis
 repetere, & recuperare valeat. Hæc
 eorum æterna erit gloria, hi immor-
 tales triumphis, hæc trophæa quæ in
 omne ævum promanabunt.